

vos filii Jacob non estis consumpti. A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non custodistis. Revertimini ad me, et ego revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. *Et post quindecim versus*: Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus. Et dixistis, Quid locuti sumus? Dixistis, Vanus est qui servit Deo: et quod emolumentum, quia custodivimus praecepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem aedificati sunt facientes iniquitatem, tentaverunt Deum, et salvi facti sunt. Tunc locuti sunt timentes Deum, unusquisque cum proximo suo. Et attendit Dominus, et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo, timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus: erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium; et parcam eis, sicut parcat vir filio suo servienti sibi. Et convertimini et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei¹. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes iniquitatem, stipula; et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non relinquet eis radicem et germen. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiae, et sanitas in pennis ejus: et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento: et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum².

¹ Malach. iii, 5-7 et 13-18. — ² Id. iv, 1-3.

DE LIBRO ISAIÆ.

LAVAMINI, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite perverse agere, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam: et venite et arguite me, dicit Dominus. *Et post octo versus*: Argentum tuum versum est in scoriam; vinum tuum mixtum est aqua. Principes tuis socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos¹.

Et paulo post: Domus Jacob, venite ambulemus in lumine Domini. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob; quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philisthiim, et pueris alienis adhæserunt. *Et post tres versus*: Repleta est terra ejus idolis; opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. *Et post quinque versus*: Quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur².

Et paulo post: Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. *Et post aliquos versus*: Vos enim depastis vineam meam, rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, dicit Dominus exercituum? Et dixit Dominus: Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plau-

¹ Isai. i, 16-18 et 22, 33. — ² Id. ii, 5, 6, 8 et 12.

debant, ambulabant, et in pedibus suis composito gradu incedebant¹.

Et paulo post: Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum ad agrum copulatis usque ad extremum loci, (ut auferatis proximo: *Symmachus et Theodotion*, donec deficiat, *vel* non sit locus, *transtulerunt*.) numquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. *Et post tres versus*: Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cythara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris: et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. *Et post septemdecim versus*: Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo².

Et aliquanto post: Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei; ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent³.

Et post paululum: Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in judicio pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ: et percutiet terram virga oris sui,

¹ Isai. III, 11-16. — ² Id. v, 8-12 et 20-23. — ³ Id. x, 1, 2.

et spiritu labiorum suorum interficiet impium: Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus⁴.

Et post sexaginta versus: Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo. Quia fortitudo mea et laus mea Dominus Deus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: et dicetis in illa die: Confitemini Domino, et invocare nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus, mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annuntiate hoc in universa terra. Exulta, et lauda habitatio Sion; quia magnus in medio tui sanctus Israël⁵. *Et post quadraginta versus*: Et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo⁶.

Item post aliquantum: Dicit Dominus Deus Israël: In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi ejus ad sanctum Israël respicient: et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, et quæ operati sunt digiti ejus: non respiciet lucos, et delubra⁴.

Et post aliquantum: Vocabit, *inquit*, Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum, et ad calvitium, et ad cingulum sacci. Et ecce gaudium et lætitia occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. Comedamus, et bibamus; cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum⁵.

Item post aliquantum: Aperite portas, et ingredietur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit, servabis pacem: pacem, quia in te speravimus. Sperastis

⁴ Isai. xi, 2-4. — ⁵ Id. xii, 1-6. — ⁶ Id. xiii, 11. — ⁴ Id. xvii, 6-8. — ⁵ Id. xxii, 12-14.

in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. *Et post sex versus* : In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te; nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte; sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores terræ. Misereamur impio, et non disceat facere justitiam. In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Dei¹.

Et post aliquantum : Defecit qui prævalebat, consummatus est illusor, et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo².

Et post decem versus : Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me; et ordiremini telam, et non per spiritum meum; ut adderetur peccatum super peccatum. *Et paulo post* : Hæc dicit Dominus Deus sanctus Israël: Si revertamini et quiescatis, salvi eritis. In silentio et in spe erit fortitudo vestra: et in spe erit fortitudo vestra: et noluitis. *Et post viginti versus* : Contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ³.

Et post aliquantum : Convertimini, sicut in profundum recesseratis filii Israël. In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum⁴.

Item post aliquantum : Et erit fides in temporibus tuis, divitiæ salutis sapientia et scientia, timor Domini ipse thesaurus ejus. *Et paulo post* : Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitavit ex vobis cum

¹ Isaï. xxvi, 2-10. — ² Id. xxix, 20, 21. — ³ Id. xxx, 13, 15 et 22. — ⁴ Id. xxxi, 6, 7.

devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem: qui projicit avaritiam et calumniam, et excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat omne malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus. Panis ei datus est, et aquæ ejus fideles sunt¹.

Et post aliquantum : Memento horum Jacob et Israël, quoniam servus meus es tu: formavi te, servus meus es tu Israël, ne obliviscaris mei. Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te².

Item post aliquantum : Mementote istud, et confundamini, redite prævaricatores ad cor. Recordamini prioris sæculi; quoniam ego Deus et non est ultra Deus, nec est similis mei³.

Et aliquanto post : Quis ambulavit in tenebris, et non est lumen ei (3)? Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum⁴.

Item post aliquantum : Audite me qui scitis justum, populus, lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobria hominum, et blasphemias eorum ne timeatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis; et sicut lanam, sic devorabit eos tinea; salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum⁵.

Et post aliquantum : Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas. Et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum⁶.

Et post viginti : Hæc dicit Dominus, Custodite judi-

¹ Isaï. xxxiii, 6 et 14-16. — ² Id. xlii, 2 et 22. — ³ Id. xlvi, 8, 9. — ⁴ Id. l, 10. — ⁵ Id. li, 7, 8. — ⁶ Id. lv, 6, 7.

cium, et facite justitiam, quia juxta est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur. Beatus vir qui facit hoc, et filius hominis qui apprehendit istud : custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum¹.

Et post non multum : Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes petras. In partibus torrentis pars tua. Hæc est sors tua : et ipsis obtulisti libamen, obtulisti sacrificium. Numquid super his non indignabor?²

Item post aliquantum : Me etenim de die in diem quæerunt, te scire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, et quæ judicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me judicia justitiæ, appropinquare Deo volunt. Quare jejunavimus, et non aspexisti; humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenietur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circum caput suum, et saccum et cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium et diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, vesti eum, et carnem tuam ne despexeris. *Et post quatuor versus* : Si abstuleris de medio tui catenam, et desieris digitum extendere, et loqui quod non prodest : cum effuderis esurienti ani-

¹ Isai. LVI, 1, 2. — ² Id. LVI, 5, 6.

mam tuam, et animam afflictam repleveris; orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies : et requiem tibi dabit Dominus semper¹.

Et post multa : Populus qui ad iracundiam provocant me, ante faciem meam semper; qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres, qui habitant in sepulcris et in delubris idolorum dormiunt. *Et post duos versus* : Qui dicunt, Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce scriptum est coram me : non tacebo, sed reddam, et retribuam in sinu eorum, iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus. Qui sacrificaverunt super montes et super colles, exprobraverunt mihi, et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. *Et post decem versus* : Et vos, inquit, qui dereliquistis Dominum, qui oblii estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, et libatis super eam : numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis; pro eo quod vocavi vos, et non respondistis, locutus sum, et non attendistis : et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui elegistis².

Et paulo post : Hæc dicit Dominus, Cælum sedes mea, et terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi, et quis iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperulum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? *Et post sex versus* : Ego illusiones eorum eligam; et quæ timebant adducam eis : quia vocavi, et non erat qui responderet; locutus sum, et non audierunt; feceruntque malum in oculis meis, et quæ nolui elegerunt. Audite legem Domini, qui trematis ad verbum ejus.

¹ Isai. LVIII, 2-11. — ² Id. LXV, 3-7 et 11, 12.

Dixerunt fratres vestri odientes vos et abjicientes propter nomen meum, Glorificetur Dominus: et videbimus in lætitia vestra, ipsi autem confundentur¹.

DE LIBRO JEREMIÆ.

AUDITE verbum Domini, domus Jacob, et omnes cognationes domus Israël. Hæc dicit Dominus, Quid inveniunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? *Et post decem versus*: Hæreditatem meam posuistis in abominationem. Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus? Et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me, et prophetæ prophetaverunt in Baal, et idola secuti sunt. *Et paulo post*: Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper et malitias tuas docuisti vias tuas: et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum? Non in fossis inveni eos, sed in omnibus quæ supra memoravi. Et dixisti, Absque peccato et innocens ego sum, et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi. Quam vilis es facta nimis, iterans vias tuas, et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. Nam et ab ista egredieris, et manus tuæ erunt super caput tuum; quoniam obrivit Dominus confidentiam tuam².

Et paulo post: Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester³.

Item paulo post: Si converteris, Israël, ait Dominus,

¹ Isai. LXVI, 1-5. — ² Jerem. II, 4, 5, 7, 8 et 32-37. — ³ Id. III, 14.

ad me convertere. Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. Et jurabis, Vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in justitia; et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt! *Et paulo post*: Stultus populus meus me non cognovit: filii insipientes sunt, et vecordes: sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere nescierunt¹.

Et post triginta versus: Circuite vias Jerusalem, et aspice, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem iudicium, et quærentem fidem, et propitius ero ei. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint, et hoc falso jurabunt. Domine, oculi tui respiciunt fidem. Percussisti eos, et non doluerunt: attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas super petram, noluerunt reverti. Ego autem dixi, Forsitan pauperes sunt, et stulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, iudicium Dei sui: et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. *Et post sex versus*: Filii tui dereliquerunt me, et jurant in iis qui non sunt dii. Saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, et admissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebant. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus; et in gente tali non ulciscetur manus mea? *Et post quadraginta versus*: Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit; et commovebuntur, et non poterunt, et intumescunt fluctus ejus, et non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum, et exasperans: recesserunt, et abierunt: et non dixerunt in corde suo, Metuamus Dominum Deum nostrum. *Et post paucos versus*: Inveni sunt, inquit,

¹ Jerem. IV, 1, 2 et 22.

in populo meo impii, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati sunt et dilatati; incrassati sunt et impinguati, et præterierunt sermones meos pessime. Causam pupilli non dixerunt, et iudicium pauperum non iudicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea? Stupor et mirabilia facta sunt in terra. Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus¹?

Et post triginta versus. Cui loquar, et quem contestabor, ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, et audire non possunt: ecce verbum Domini factum est illis in opprobrium, et non suscipiunt illud².

Et paulo post: Audite verbum Domini omnis Juda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël, Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si bene direxeritis vias vestras et studia vestra, si feceritis iudicium inter virum et proximum ejus, advenæ et pupillo et viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, et post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis; habitabo vobiscum in loco isto, in terra quam dedi patribus vestris, a sæculo usque in sæculum. Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterare, jurare mendaciter, libare Baalim, et ire post deos alienos, quos ignoratis.

¹ Jerem. v, 1-8 et 22-31. — ² Id. vi, 10.

Et venistis, et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum; et dixistis, Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. Ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris: Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio? et videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israël. Et nunc quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus, et locutus sum ad vos, mane consurgens et loquens, et non audistis; et vocavi, et non respondistis: faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, et loco quem dedi patribus vestris, sicut feci Silo: et projiciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros universum semen Ephraïm. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi; quia non exaudiam te. Nonne vides quid isti faciant in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem? Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent, dicit Dominus? nonne semetipsos in confusione vultus sui¹?

Et paulo post: Numquid qui cadit, non resurget; et qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti. Attendi, et auscultavi; nemo quod bonum est loquitur: nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? *Et post novem versus:* Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Con-

¹ Jerem. vii, 2-19.

fusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt. Verbum enim Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis¹.

Et paulo post: Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, et derelinquam populum meum, et recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt et cœtus prævaricatorum: et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus. Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet; et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt. Habitatio tua in medio doli. In dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo, et probabo eos. Quid enim aliud faciam a facie filiaë populi mei? Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est in ore suo: pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit insidias. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus: aut in gente tali non ulciscetur anima mea? *Et paulo post*: Hæc dicit Dominus: Non gloriatur sapiens in sapientia sua, et non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis²: sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et iudicium et justitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus.

Et post sexdecim versus: Hæc dicit Dominus, juxta vias gentium nolite discere, et a signis cœli nolite metuere quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ sunt. Quia lignum de saltu præcidit opus manus artificis in ascia: argento et auro decoravit illud; clavis et mal-

¹ Jeremie. viii, 4-9. — ² Id. ix, 2-9 et 23, 24.

leis compegit, ut non dissolvatur. In similitudinem palmæ fabricata sunt, et non loquentur: portata tollentur, quia incidere non valent. Nolite ergo timere ea, quia nec male possunt facere; nec bene. Non est similis tui, Domine, magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium? Tuum est enim decus inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui. Pariter insipientes et fatui probabuntur. Doctrina vanitatis eorum lignum est. Argentum involutum de Tharsis affertur, et aurum de Ophaz, opus artificis et manus ærarii. Hyacinthus et purpura indumentum eorum, opus artificum universa hæc. Dominus autem Deus verus est, ipse Deus vivens, et rex sempiternus. Ab indignatione ejus commovebitur terra, et non sustinebunt gentes comminationem ejus. Sic ergo dicetis eis: Dii, qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt¹.

Et aliquanto post: Hæc dicit Dominus, Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum et a Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum; sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis et inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; et non timebit cum venerit æstus: et erit folium ejus viride, in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum².

Item aliquanto post: Hæc dicit Dominus, Facite iudicium et justitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris: et advenam, et pupillum, et viduam no-

¹ Jerem. x, 2-11. — ² Id. xvii, 5-8.

lite contristare, neque opprimatis inique; et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto ¹.

Et paulo post: Væ pastoribus qui dispergunt et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israël ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus ².

Item paulo post: Hæc dicit Dominus exercituum: Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Dicunt his qui blasphemant me: Locutus est Dominus: Pax erit vobis: et omni qui ambulat in pravitate cordis sui dixerunt: Non veniet super vos malum. Quis enim affuit in consilio Domini? *Et post undecim versus*: Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant, non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo, avertissem utique eos a via sua mala, et a pessimis cogitationibus suis. *Et post quatuor versus*: Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi. Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui, qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei, propter somnia cordis sui, quæ narrat unusquisque ad proximum suum, sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal? Propheta qui habet somnium, narret somnium: et qui habet sermonem meum, narret sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi mal-

¹ Jerem. xxii, 3. — ² Id. xxiii, 1, 2.

leus conterens petram? Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, et aiunt: Dicit Dominus. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea et seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis, cum ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus ¹.

Et paulo post: Et misit Dominus ad vos omnes servos suos Prophetas, consurgens diluculo mittensque, et non audistis, neque inclinastis aures vestras ut audiretis, cum diceret: Revertimini unusquisque a via sua mala, et a pessimis cogitationibus vestris; et habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis et patribus vestris, a sæculo et usque in sæculum: et nolite ire post deos alienos, ut serviatis eis adoretisque eos, neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, et non affligam vos. Et non audistis me, dicit Dominus ².

Et aliquanto post: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter ³.

Item post aliquantum: Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum est prætolari cum silentio salutare Domini. Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit; quia levavit super se. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis: quia non repellet in sempiternum Dominus ⁴.

¹ Jerem. xxiii, 16-32. — ² Id. xxv, 4-7. — ³ Id. xlvi, 10. — ⁴ Thren. iii, 25-31.